

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band: - (1750)
Heft: 18

Artikel: Oratio, in qua disquiritur : an, & quanto hominibus sit ornamento sciendi cupiditas?
Autor: [s.n.]
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394673>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 16.05.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

ORATIO,

in qua disquiritur:

An, & quanto hominibus sit ornamento
SCIENDI CUPIDITAS?

Postquam nuper ad φιλομαθείς de φιλομαθεία pluribus disserui, atque in commune ostendi, ut agendi, sic sciendi discendique studium in omnibus hominibus innatum esse: in præsens explicatius demonstrandum videtur, hunc ardorem pro illustri divini Numinis beneficio jure meritissimo haberi; quippe cujus opera natura humana ad Supremi Conditoris virtutes non contemplandas modo, sed etiam exprimendas quam proxime accedat, & universam illam rerum, quas Deus artificis manu sua architectatus est, compagem perlustrando, eximios fructus, atque incredibilem voluptatem capiat.

Forſitan cogitatis vobiscum: hoc demonstrationis genere facile supersederi posse; neque enim quemquam nostrum tam bliteum, tamque obtusi esse ingenii, quin agnoscat, hanc sciendi cupiditatem bene beateque vivendi primum gradum esse, quem qui non tenet, ad altiora minus rationaliter progredi; & vel eo maxime nos Dei simillimos effici; & absque eo esset, omnem colendi Dei rationem, omnem veritatis investigandæ, ac pro dignitate adamandæ causam sublatam fore.

Sed

Sed multa hercle sunt, eaque non leviora, quæ dubitationem adferre possunt rem altius introspectanti. Hanc ingressus viam, immensa spinarum copia difficilem ac impeditam, immo merum senticetum esse deprendet, quod vix uni transire inviolato licuit. Qui voluntati suæ morigerantes, se studio alicui dederunt, tot periculis, tot laboribus, tot perplexitatibus, tot denique incommodis involutos animadvertas, ut haud injuria ambigas, bonine plus, an mali sciendi cupiditas humano generi adferat.

Ut ne dicam, (quod tamen in principio dici meretur) discendi studio hominum mentes turbari, atque mirum in modum agitari, haud secus atque navis, tempestate coorta, paullo momento huc illuc impellitur, nec portum tenere potest. Nam quo quis doctrinæ cupidior, hoc sollicitior sit necesse est. Quo quis plura scit, scireque cupit, eo gravioribus exercetur curis: nusquam quietus: nullum tempus relinquitur otioso. Ille studii ardor tantum potest, ut, cum aliarum quidem voluptatem ii etiam, qui plurimum eis tribuunt, satietatem quamdam ac fastidium esse confiteantur, solus cognitione rerum se pascens animus, neque infinitorum laborum tædio, neque lætitiarum blanditiis ab instituto cursu abduci queat. Interim sollicitudines duplicari, vim animi hebetari, corporisque vigorem debilitari videas.

Multo gravius est, quod discendi studium in compluribus peperit falsam vanamque eruditionis opinionem, pestilentissimam illam, si quid video, studiorum luem, & præsentissimam fundi litterarii galami-

calamitatem, quæ multa egregia, nec vulgari spe
 adolescentia ingenia miserabili strage adflixit, de-
 levitque. Cujus damna Quintilianus, optimus
 dicendi magister, dilucido verborum compendio
 exposuit. Nihil est, inquit ille, pejus illis qui
 paullulum aliquid ultra primas litteras progressi,
 falsam sapientiæ persuasionem induerunt. Multi
 ad solidam eruditionem pervenissent, nisi se jam
 pervenisse putassent. Multi inquam virtutis & sa-
 pientiæ apicem superassent, nisi animos ad mag-
 na surgentes velut pestilens quoddam sidus adfla-
 set opinio. Hanc Hieronymus præceptorem pes-
 simum appellat, stultitiæ progeniem Plato. Nos,
 ut monstrum rei augeamus, matrem illam eam-
 demque sobolem stultitiæ appellabimus. Cui enim
 falsa & inani spe sapientiæ persuasionem intumescit
 animus, illum per stultitiæ præcipitia ferri exem-
 plo videas. Stulto autem versa vice quid familia-
 rius, quid jucundius, quam grandia animis con-
 cipere, & quosvis sapientiæ thesauros sibi vindi-
 care? Stulti hujus atque opinionis morbo labo-
 rantis animi characterem paucis verbis expedire li-
 bet, eoque magis, quod infelicissimum Sæculum
 nostrum semidoctorum hominum est feracissimum:
 qui culpæ consueverunt, quæ non intelligunt:
 qui reprehendunt & adlatrant, quæ alii bono fece-
 runt animo: ædilitatem gerentes sine suffragio po-
 puli, nec attendentes manticiæ quid a tergo sit.
 Stultitiæ & opinionis cætro percitus, nihil se igno-
 rare putat: sua omnia prima & potissima vult cre-
 di: contradici sibi, injuriæ loco deputat: inferri
 sibi aliunde lucem posse, non putat: si vero il-
 lata ab aliis credatur, ignominiam sibi ab iisdem
 illatam existimat: errorem sibi ab alio monstratum
 tantum

tantum abest ut aut cognoscat, aut emendet, ut e diverso altius illum & tenacius animo infigat, immo impudentissima pervicacia tueatur. Si quem forte laudari ab aliis exaudit, murmurat, laudem extenuat: scire se eadem & majora prædicat: alterum illum plurima ignorare confirmat, adeoque opinione falli alienæ virtutis admiratorem. Denique si quid solidæ doctrinæ aut prudentiæ vicinus habet, id eum sibi uni debere contendit. Idem vero, quæ vel auditu nova, vel nunquam antea visa, vel certe supra captum cogitationum ardua videntur, mendacia, absurda, somnia mera esse clamat, quia scilicet extra sua ille pomœria nihil nisi umbras & vanas rerum imagines arbitratur. Si porro incognitæ aut parum intellectæ sententiæ interpret occurrit, tum vero aures, in morem aspidum, ne vocem audiat, obturat: oculos, ne veritatem videat, occludit. Quod si forte lapsum quempiam vel videt vel audit, dissentis mox faucibus cachinnum emittit, in triumpho aliorum errorem circumducit, atque obvio cuique admirabundus ostentat. Labi humanum esse non credit, quod vero unius Dei est, nihil peccare, nusquam cæcutire, numquam dormire, id sibi vanissimus ille sui æstimator tribuere non verecundatur. Quod si tamen errorem ille suum quandoque per se ipsum deprehendit, ita eum corrigit, ut majorem existimationis, quam veritatis rationem habeat: non omnino se falsum, nec prorsus in diversa fuisse opinione: bene se antea sensitse, nunc melius & tersius; adeo ille hariolationes, alucinationes, & oscitationes deperit miser. Non deinceps doctorum ille virorum scripta legit, ut erudiatur, sed ut erudiat, verba

verba saltim & phrases, si res non potest; carpendo, vellicando. Si quos forte obscuros Logicæ sonos, aut frivolas distinctiunculas hinc inde corrasit: Si quem Rhetorices aut Poëtices gustum, quamlibet imaginarium, ex auditione, vel lectione quorundam libellorum percepit: si librorum magis, quam rerum cognitionem maximo sibi studio comparavit: si in Theologia aut Philosophia novas quasdam sententias, veterum potius odio, novandique pruritu, quam sincero veritatis amore, adoptavit: intumescit ilico, & mirifice se circumspicit, jamque Ciceronis, aut Salomonis, aut Paulli animum in suum demigrasse pectus autumat: priorum præceptorum labores, curamque eruditionis supellectilem ridet, perstringit, lacerat: imperandi, & credendorum agendorumque leges condendi cupidinem, quam in aliis damnat, ipse ambitiose admodum & impotenter aperit: & sic pro corporibus umbras, pro medulla corticem, pro Junone nubem, ut ajunt, amplectitur; jejunos ac rudes animos, si non ineptiis & stercore, obscuris certe & minus necessariis rebus, pascit & saturat; ipsas vero Musas in certamina vocat. Hoc est, cur pauci adeo ad solidæ eruditionis fastigium enitantur. Hoc est, cur multi adeo in medio quasi cursu gradum sistentes alios docere cupiant, ipsi docendi. Hoc est, cur videas (liceat in re odiosa Ludovicum Vivem advocare) videas, infit ille, pueros magistros, qui pædagogo adhuc indigeant. Hi sunt, qui crudissima studiorum rudimenta in Ecclesiam, ut vocant, in forum, in publicum denique propellentes, & magnificis titulis insigniti, unctisque conditionibus beati, disciplinarum cognitionem deponunt, tum arrogan-

tia, invidentia, ceterisque vitiis intolerabiles fiunt. Hi sunt, qui ab nulla doctrina instructi, quemquam eruditionis gloria sibi anteponi, indigne ferunt; & ubi quid sciscitur, contra quam ipsis visum est, maria omnia commovent. An putamus insolentiores esse quospiam illis, qui, quum omnis sapientiæ expertes sint, pro sapientibus tamen apud vulgum se venditant, & gloriosa verborum jactatione famam sibi venantur? Ceterum quemadmodum sapientia optimos facit, ita simulatio sapientiæ pessimos, propterea quod quæ bonis artibus tueri nequeunt, fraude & flagitiis tuentur. Pestiferum sane falsæ opinionis virus, cui nulla industria mederi potest. Recte enim elegans Poëta:

Bene errat, qui fatetur errare,
Prope est medela: pessime ille delinquit,
Cui moneri sordidum atque servile est.

Odio digna parens, quæ tam invenustum, immo execrabilem fœtum protrudit. Atqui protrudere videri possit ipsa illa, quam sæpe memoravi, sciendi cupiditas. Nisi enim illa esset, procul ab ambitionis, procul ab arrogantiae atque invidiæ causis, in æquo consisterent omnes: subsiderent illi impotentis animi æstus, nec alius alium anteire tam cupide laboraret: tot turbarum, totque gravissimarum contentionum arce eversa, mutuus invalesceret amor, & mentes nostras intraret sanctius illud & in omni ætate conducibilis alios pro virili juvandi studium.

Sed hæc porro sciendi cupiditas insignes in omnibus propemodum artibus incommoditates habet: quas si singulas enarrare adgrediar, & operam

ram abutar, & attentionem fatigem vestram. Igitur summa sequuturus fastigia rerum, ea tantummodo attingam, quorum maximus in vita usus, maxima voluptas apparet.

Quod ad Philologos attinet & Grammaticos, qui omne tempus aliarum gentium sermonibus dedere, vocumque scrutandis cunabulis: quam tenuis, quam inglorius eorum labos! Non dicam, complura vocabula cum temporis vetustate, tum sæculorum barbarie esse deperdita, sine quibus reliqua ægre intelligi possunt. Ipsæ, quæ restant, voces, earumque origo incerta fere, & dubia, quærentem & investigantem incertum relinquit. Hinc totidem nobis etymologiæ produntur, quot criticam admoveere manum: totidem verborum significationes gignuntur, quot animum ad ea attendunt. Videas etiam, ob unicum dictionem implacabile odium suscipi, inexplicabile bellum geri. Quantas lites, quantas tragoedias vel unica movit littera? Nec intra causam subsistitur: qui ejusmodi verbisvelitationibus oblectantur, hominem exuunt, ac tanto desæviunt opere, ut convitiis & contumeliarum neque modum sibi neque terminum constituent. Ea animorum digladiantur acerbitate, tamquam aræ & foci in ultimum discrimen adducti forent: & [sicut vere dixit Agrippa] dum virtutem dictionum curiose nimis scrutantur, sensum scripturæ nolunt intelligere, sed nuda vocabula tenentes circa illa *μωγ*antur, subvertentes & amittentes verbum veritatis. Nichilo secius qui plurimum operæ in istis rebus consumunt, summi, eruditissimi, consummatissimi viri audiunt, litterarumque Atlantes. Sed quid,

quæso, laudis est, in his vitam exegisse suam? Si quis præcipiti jam senectute, vitæ ante actæ ratione inita, se cum umbra luctatum, & inanibus vocibus usque delectatum videt: qua animi fiducia cogitabit de novissimis, de censorio illo die, quò unusquisque profiteri debet, quid potissimum & suæ & aliorum salutis causa fecerit?

Historiam etsi Cicero testem temporum, lucem veritatis, vitam memoriæ, magistram vitæ, nuntiam vetustatis dictitavit: Historiam etsi ego ad vitam regendam, prudentiam comparandam utilissimam esse duco: multimodis tamen intricatam & impeditam deprehendas, sive veteres inspicias memorias, sive novas. Illæ enim multa tradunt fabulosa atque mendaciis involuta, complura obscura & incerta; qualia sunt, quæ Græcia mendax ausa in historiis. Exponuntur etiam manifesto falsa; sicut quod de quatuor, quas vocant, Monarchiis maxima omnium consensione adfirmatur, proinde ac si illa regna, & quidem sola, imperii majestate alia omnia universi terrarum orbis antecesserint. Tanta componentium vetusta rerum monumenta, vel securitas; vel par huic vitium, credulitas! Qui recentiorum ætatum res gestas memoriæ prodiderunt produntve, ægre sibi temperare possunt, quin sive delectationis, sive odii, sive adulationis causa veris nonnihil admentiantur, & suis vel regibus, vel civibus omnia vindicent. Si quid secundi evenit, amplificant, & virtuti duntaxat tribuunt; sin autem adversi quid accidit, extenuant, & in alios culpam conferunt. In plerisque desideratur fides, in omnibus pæne partium conspicitur studium. Prætereo innumeras scrip-
ptorum

ptorum in gravissimis rebus disensiones, quæ non tantum docent plurimos illorum esse mendacilocos, sed lectoribus quoque magnam hæsitationem adferunt.

Mathematicæ disciplinæ multo omnium putantur certissimæ: sed qui profitentur eas, ne parum multa scire videantur, ea conquirunt, quæ nihil ad rem attinent, ut ars difficilior cognitu reddatur & putetur. Hinc videmus, & quæ plana sunt ac cuique aperta, ambitiosa doctorum subtilitate, adfectatisque exemplis perplexa fieri ac oppido septuosa; & tanto circumitu flexuque ad scientiæ hujus arcana tirones admitti, ut in ipso ejus limine constitutorum animi difficultate facile absterreantur. Qui vero doctrinæ illius partes penitus hausisse videntur, quam difficiles, quam intolerabiles, quam insolentes utplurimum sunt? Non cælum modo, & remotissimas partes ejus arte sua complectuntur; sed ipsa etiam divina, & innumera veritatis secreta regulis suis judicanda putant. Quo Christianæ Religionis majestatem, & mysteriorum ejus sublimitatem si non tolli, imminui certe, necesse est. Denique hæc scientia, sicut est, in multis non pietatis, sed vanitatis, sed arrogantiae, sed temeritatis scientiam esse experientia testis est.

Ad philosophiam naturalem procedentibus, tot sectæ se offerunt, quot ferme in eo studio excellerunt. Adeo parati ad confingendum, proclivesque ad jurgandum sunt, qui sapientissimi videri volunt. Nemo se philosophum esse credit, nisi novi quid adferat, ceteros autem desipere conten-

det. In collaudanda scientiæ præstantia ac utilitate consentiunt omnes: at quam in incerto plura sint posita, vix est qui animadvertat. Universæ illius doctrinæ corpus, ab Cartesio constitutum, magnos passim & amatores & miratores invenit; ut, si quis repudiare illud vellet, insanæ mentis haberetur. Nihilo secius, qui paullo accuratius id scrutatur, maximis laborare difficultatibus intelliget. Ego certe, quæ de principiis, præsertim de motu ejusque communicatione disseruit: quæ de elementis & origine rerum splendide tradidit: quæ de cœli vorticibus, de luce, de coloribus, aliisque disputavit: percipere me non posse, ingenue fateor. Immo memet ipse, qui sim, ignoro. Nam si quis dicat: Tunc, te ens esse perpetuo cogitans, ignoras? ei continuo respondebo: verum hercle; sed, qui sim ego qui cogito, mihi dicas velim. Etenim quando me cogitare dicis, id est, intelligere, judicare, velle, amare, odisse; actiones mihi tribuis. Atqui is qui agit, diversus omnino est ab eo quod agit. Me itaque ex eo, quod cogito, esse scio: at qui sim, nondum liquet. [*]

Postremo ad Theologiam conversus, quæ, si nomini credendum, Deum loquitur, & ad Deum deducit, atque adeo sempiternæ salutis viam commonstrare censetur; non dicam, unumquemque, hoc

[*] Hæc tantum eo spectant, ut intelligatur, multa nobis, quæ ad mentis nostræ essentiam & naturam pertinent, adhuc latere, sine dubio penitus perspicienda, ubi ad cœlestium mentium panegyrim adgregati fuerimus.

hoc præsertim eclecticico sæculo, peculiarem sibi, quam ingrediatur, deligere viam, eam nempe, quam vel opinio, vel vis cupiditatum suaserit. Illa loquar, quæ hominem, cui æterna salus cordi est, haud injuria anxium, sollicitumque reddunt. Multi sunt, qui Christi profitentur nomen, eoque gubernante versus fortunatas insulas cursum dirigere jactitant. Sed quam contraria eorum studia! quam acres pugnae! alteri alteros non præoccupare tantum, sed excludere & depellere student! indignantur etiam, si non soli sunt, quos Superi diligunt! Unamquamque sectam, non docti solum & claritate præstantes, sed & probi & pii defendunt propugnantque viri: de quibus ne suspicari quidem fas est, ita sensuros, nisi de Dei voluntate forent persuasissimi, multo minus rudes & imperitos aliorum animos in fraudem illecturos, si vel unicus restaret scrupulus. Neque enim de rebus nihili pugnatur, aut cognitu minus necessariis, sed de gravioribus, de pietatis vel incentivis vel impedimentis, in quibus sectæ cujusque defensores cardinem salutis verti existimant. Inter nostros quoque plurimæ dissensiones gliscunt, in apertum erupturæ bellum, quod & caritatis expertes, & veritatis impatientes sumus. Vetera quis extollat: adest qui nova laudibus ferat. Dextrum quis callem petat: alius laeuum insistet. Gratiam quis prædicet: alius mortalium ediffertabit vires. Deum singulorum fortunas præfinivisse hic adferat: ille quemlibet fortunam sibi fingere affirmabit. Hic Christum pro delectis, ille pro omnibus mortem obiisse contendit. Hic scelestos æterna daturus supplicia, ille veniam aliquando consequuturos perhibet. Si tu rationem lucis ad-

instar fulgere aias: ecce tibi qui meras tenebras esse clamat. Si tu virtutis exercitationem, ut quis iustus fiat; en tibi, qui solam mentis persuasionem requirit. Ut pæne incertum sit, quid potissimum credendum, quæ via ineunda.

Hæc omnia eo a me dicta sunt, ut pateat, quam sint omnes disciplinæ, pro eo, quo traduntur & arripiuntur, modo, ut plurimum ambiguae, quam ingloriæ, quam incertæ, quam plenæ periculo, ut quantum ex ipsis est, nescire cogamur, ubinam solida quiescat veritas, etiam in Theologia, quam vocant Systematicam, nisi sit, qui habet clavem scientiæ, qua ad illud veritatis armarium paretur introitus. Ex quo consequi **VIDETUR**, melius humano generi fuisse consultum, si non tanto sciendi desiderio flagraret; quoniam hoc studio suo ad incerta deducitur, quæ animum affligant magis, quam recreant. Atque adeo esse, cur dubitemus, deputandane sit in beneficii loco illa innata in homine φιλομάθεια. Neque mirum adeo videri oportere, si quis in hanc trahatur sententiam, ut statuat; nihil scire felicissimam esse vitam; vel longe beatissimos prædicet, qui [in primis hoc tam turbido tempore, tamque contentioso sæculo] procul ab rixis, procul a disputantium & omnia in dubium devocantium ardore, vitam exigunt suam, innocentia, modestia, iustitia, abstinentia se Deo Christoque probare adnitentes.

Constitueram quidem his subungere nonnullas rationes, quæ adlatis opponerentur difficultatibus, & φιλομαθείας præstantiam adstruerent. Sed plura persequi cum modus orationis, tum temporis ratio prohibet: quare hic finem dicendi facio.

T A N T U M.

Nova